



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 87. Imperatoris postulata ad Basileenses de electione novi Papæ differenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

**Sæcul. XV.**  
**A. C. 1439.**

Joannes de Turrecremata Basileensium apologiam confutat, potissimus tamen sermonis ejusdem scopus ad Pontificis auctoritatem supra Concilia extollendam collimat, Romanumque Pontificem multis in casibus Concilium dissolvere, aut transferre posse pluribus comprobatur argumentis (\*).

§. LXXXVII.

*Imperatoris postulata ad Basileenses de electione alterius Papæ differenda.*

Eodem mense Octobri nonnulli Prælati ex vicinis Provinciis, præcipue ex Sabaudia Basileam venerunt, scilicet Archiepiscopus Tarentasiensis, Episcopus Bellicensis, & alii. Imperator datis ad Basileenses literis pariter in eos invehabatur, quod suas, aliorumque Principum preces & protestationes spreverint, ac contra eorum voluntatem Eugenio resisterint, eumque etiam exauctorare præsumperint: simul vero, ut ab alterius Papæ electione abstinerent, eos adhortabatur, se enim proxime suos missurum Legatos

(\*) Quam justum sit Continuatoris judicium de proluxa Joannis de Turrecremata refutatione pronuntiatum, ex sola illius lectione ad oculos patebit.

Legatos promittebat, ut eorum opera Sæcul. XV.  
 pax Pontificem inter & Basileenses per- A.C.1439.  
 tractari posset.

§. LXXXVIII.

*Cardinalis Arelatensis preces Imperatoris contemnendas suadet.*

Verum Cardinalis Arelatensis in super-  
 habitis Imperatoris precibus identi-  
 dem exponebat, omnem temporis dila-  
 tionem perniciosam fore, nec amplius  
 rem differendam, minus vero exspectan-  
 dos Germanos, moram ex mora neçtere  
 solitos; bono Ecclesiæ, fidei puritati, &  
 generalium Conciliorum auctoritati in  
 tempore prospiciendum. Quinimo asse-  
 rere haud dubitabat, se neminem timere,  
 sed vitam suam pro defensione illius Ec-  
 clesiæ, quam Gabriel olim Eugenius tan-  
 ta violentia aggredere, profundere pa-  
 ratum esse. Itaque die sexta Octobris  
 triumviros nominari iussit, qui eos, qui-  
 bus in Pontificis electione jus suffragan-  
 di esset, eligerent. Provincia hæc de-  
 mandata est Abbati de Scotia, Joanni de  
 Segovia, & Thomæ de Curcellis. Hæc *Patric. loc.*  
 ex Patricii actis discimus, rem vero aliis *cit.*  
 paululum verbis recenset Æneas Syl-  
 vius.